



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

§. VI. De Obligationibus Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, &  
Apparitoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

## §. VI.

*De Obligationibus Referentis, Secretariorum,  
Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.*

**D**ico ii omnes generatim tenentur fideliter ac justè exequi suum officium; & prouinde scire omnia quæ ad illud spectant, debitamque diligentiam adhibere. Quod si quid faciant vel omittant contra proprium officium, peccant contra Justitiam; ideoque tenentur resarcire damna inde aliis orta. Quæ enim sunt debita ex officio, ad aliorum commodum spectante, debentur ex Justitia, cum debeatetur ex contractu implicito in assumptione officii; nam suscipiens officium, hoc ipso se obligat ad id omne, ad quod institutum est. Nec excusantur ob ignorantiam, c. ult. de injur. quia tenentur ex Justitia sufficientem scientiam ac peritiam habere, aut officium non assumere cum periculo damni aliorum; & imperitia culpa adnumeratur, l. 174. ff. de Reg. Jur.

Item peccant, & tenentur ad restitutionem, si stipendium majus eo quod lege vel consuetudine taxatum est, accipient: quia tunc accipuerunt pretium operæ justo majus, cum premium taxatum sit unicè justum, & consistat in indivisibili, ut patet in emptione; nec excessus sponte donatur, sed dans vult tantum solvere justum pretium. Quod si stipendium non fuerit taxatum, illud solum erit justum, quod secundum communem prudenter æ-

Tom. III.

M.

stimata-

stimationem est æquale operæ ac obsequio  
præstito, nam si sit inæqualitas inter pretium &  
operam, jam est injustitia. Speciatim verò

1. Referens peccat si defectu studii, dili-  
gentiæ sufficientis malè referat, aut aliquid  
substantiale omittat, si conetur unius Jus ma-  
gis quam alterius exponere, &c.

2. Secretarius peccat, si Juramentum violet,  
si processus aut sententias diligenter non cu-  
stodiat, vel partibus sine mandato Judicis o-  
stendat; si testimonia non fideliter transcri-  
bat, &c.

3. Tabellio seu Notarius peccat, & tenetur  
de damno, si ignoret quæ ad suum officium  
pertinent; si instrumenta non rectè conficiat;  
si juramentum vel secretum violet; si in testi-  
moniis testium vel dictis ac factis partium ali-  
quid addat vel detrahatur; si sincerè omnia pro-  
ut se habent non scribat; si Ministro transcri-  
ptori cum erroris periculo aliquid committat;  
si Acta & instrumenta negligenter custodiat,  
cum periculo damni partium; si differat in-  
strumentorum expeditionem, ut pecuniam  
extorqueat; si testamentum hominis rationis  
usu destituti scribat; si testes falsos admittat,  
si solemnitates necessarias in contractibus ex-  
 ignorantia, negligentia, vel malitia prætermittat;  
si conficiat instrumentum falsum, usura-  
rium, vel injustum. Si amisso instrumento an-  
tiquo publico, vel testamento, aliud simile  
confingat; si testimonium aliquod necessa-  
rium

rium cum alterius damno non exhibeat; si parti petenti instrumenta sua vel alia sine quibus recuperare nequit id quod sibi debetur, occultet, vel transumptum neget, &c. nam in his omnibus peccat contra officium & Justitiam, & causam damni dat.

4. Procurator peccat, si litem injustam suadeat, procuret, vel suscipiat; si suadeat Reo vel parti, ut veritatem neget; si partes ad compositionem iniquam adducat; si falsos testes inducat; differat ac protrahat causam, vel petit dilationes supervacaneas, aut non petat necessarias; si falsa vel incerta ut certa proferat; si causam primò acceptatam, primò non procuret; si nomine partis juret sine particulari ejus informatione cum periculo pejerandi; si sua imperitiā, vel negligentia aliave culpā causā sit cur lis perdatur, &c. vide dicta de Advocato.

5. Apparitor peccat, si non servet jusjurandum; si accepto mandato capiendi aliquem, vel ejus bona, spem muneris monuerit, ut sibi caveat; si plura negotia expediens in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigat, quantum pro diversis itineribus vel pro diversorum dierum expeditionibus acciperet; si lustrans domos asperius agat, ut aliquod munus extorqueat; si vim injustam aut aliam injuriam inferat, &c.